

De creationibus curatorum,
qui furiosis utriusque sexus dantur, necesse
nobis visum est constituere, quemadmodum eas
celebrari oportet.

1 ¶ Et si quidem pater curatorem
furiosae in ultimo elogio heredibus institutis
vel exhereditis dederit (ubi et fideiussionem
cessare necesse est paterno testimonio pro satisfactione
sufficiente), ipse qui datus est ad curationem
perveniat, ita tamen, ut in provinciis apud
praesides earum, praesente eis tam viro religiosissimo
locorum antistite quam tribus primatibus, actis
intervenientibus, tactis sacro sanctis scripturis depromat
omnia se recte? cum utilitate furiosi gerere neque
praetermittere, quae utilia furioso esse putaverit,
neque admittere, quae non utilia esse existimaverit:
et inventario cum omni subtilitate publice
conscripto res suscipiat et eas secundum sui opinionem
disponat sub hypotheca rerum ad eum pertinentium,
ad similitudinem tutorum et adulti curatorum.

2 ¶ Sin autem testamentum quidem parens
non confecerit, lex autem curatorem utpote adgnatum
vocaverit vel eo cessante aut non idoneo forsitan
existente ex iudiciali electione curatorem ei
dare necesse fuerit, tunc scilicet et in provinciis
apud praesidem cuiuscumque provinciae et virum
religiosissimum episcopum civitatis nec non tres
primates creatio procedat, ita ut, si quidem curator
substantiam idoneam possidet et sufficientem ad
fidem gubernationis, et sine aliqua satisfactione nominatio
eius procedat. sin autem non talis eius
census inveniatur, tunc et fideiussio in quantum possibile est
ab eo exploretur.

3 ¶ Creatione omnimodo
sacro sanctis scripturis propositis in omni causa
celebranda, ipso autem curatore, cuiuscumque substantiae
vel dignitatis est, praefatum sacramentum
pro utiliter rebus gerendis praestante et inventarium
publice conscribente et hypotheca rerum curatoris
modis omnibus adhibenda, quatenus possint undique
res furiosi utiliter gubernari.